



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De nomine, & natura ordinis, eiusque institutione. punct. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

TRACTATUS XXVII.
ET
DISPUTATIO VNICA,
DE SACRAMENTO
ORDINIS.

P R O C T U M I.

De nomine, & natura Ordinis, eiusque
institutione

1. Nomen Ordinis variè sumitur.
2. Definitio Ordinis, seu Ordinationis.
3. Ordo Sacramentum est à Christo institutum.
4. Institutum est in ultima Cœna.

NOMEN Ordinis variè à Doctoribus accipitur, ut refert Ambrosius Calepinus in suo Dictionario. Propriè sumitur pro digestionem, seu rei cuiusque in loco collocatione, veluti in exercitu, ubi pedites, vbi aleæ, & ceteraque omnia, suo quaque ordine collocantur. Vnde Augustinus lib. 9. de ciuitate Dei, cap. 11. definiens ordinem, inquit: *Est paruum diuersumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* Secundò, & principaliter sumitur pro qualitate, & statu hominum: qua ratione Romæ tres erant hominum ordines, seu status; seuatorius, equester, & plebeius; & in Christiana republica duo sunt, secularis, & clericalis, iuxta textum in cap. Duo sunt. 12. quæst. 1. Hinc per antonomasiam status Clericorum, Ordo dicitur: quia ex diuina ordinatione, & dispositione consecrantur, & deputantur in Dei obsequium, cultum, & honorem, ut tradit Bellarminus lib. 1. de Clericis, cap. 1.

2. Actio autem, qua prædicti homines consecrantur, & deputantur ad prædictum munus, & Officium, Ordinatio dicitur, quam Doctores cum Mag. in 4. d. 24. communiter definiunt afferunt, esse ceremoniam sacram. qua ordinato conceditur potestas ad aliquod altaris officium seu ministerium peragendam firmiter, & stabiliter, ita ut reuocari nunquam possit, aut deleri, tametsi eius exercitium possit suspendi, ut dixit Augustinus lib. de bono coniugali, cap. 24. idèque Tertullianus lib. de prescriptis, notauit Hæreticorum proprium esse, ut cras sit laicus, qui hodie est Minister.

3. Ordinem, seu Ordinationem Sacramentum esse à Christo institutum, definiunt Concilium Florentinum in decreto fidei, post sess. 21. Sextum sacram. Trident. sess. 7. can. 1. & sess. 23. cap. 3. & can. 3. & pluribus comprobant aduersus Hæreticos nostri Scriptores, præcipuè Bellarminus tom. 2. lib. de Sacram. Ordinis à cap. 2. & Gab. Valq. tom. 3. in 3. part. disp. 235. Et ratio deducta ex fidei principiis est manifesta. Nam signum visibile, quo gratia sanctificans confertur, sacramentum est: at in Ordinatione adest huiusmodi signum visibile, scilicet, manus impositio, quo gratia sanctificans ordinato confertur, ut constat ex illo Pauli. 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam qua data est tibi per prophetiam.* (id est, per reuelationem,) quam à Christo accepisti, ut te in Episcopum eligerem cum impositione manuum presbyterij. id est, media manuum meatum impositione, que ad conferendum presbyterium ordinatur, ut clarius dixit 2. ad Tim. 1. *Admonete, ut resuscitatis gratiam, qua est in te per impositionem manuum mearum.* Quòd verò in prædictis locis Paulus nomen, gratia, non solum pro potestate consecrandi, offerendique sacrificium, sed etiam pro ipsa gratia habituali vsurpauerit, colligitur aperte ex ratione, quam subiugit, ob quam Timotheus debeat gratiam suscitare: scilicet, quia non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. At spiritus virtutis, dilectionis, & sobrietatis est charitas gratiaque iustificans: ergo per impositionem manuum hæc gratia

confertur. Deinde ad ritè peragendam consecrationem offerendumque sacrificium, gratia habitualis necessaria est: debuit ergo simul cum illa potestate habitualis gratia confertis, præcipuè cum collata sit ceremonia, & ritu externo firmo, & stabili.

4. Hoc Sacramentum institutum est à Christo Domino in vltima Cœna, cum Apostolis concessit potestatem, & imposuit præceptum, suum Corpus, & Sanguinem consecrandi, Luca cap. 22. ibi: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod expendens Trident. sess. 22. cap. 1. post. med. inquit: *At sub eandem rerum symbolis Apostolus, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem eorundemque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.* uti semper catholica Ecclesia intellexit. Et licet Concilium non definiit, an prædictis verbis in Sacerdotes Apostolos ordinauerit, manifestè deducitur vel illis, vel aliis paulo ante dictis ordinatis fuisse: siquidem præcipiebat sacrificium offerre, ad cuius oblationem necessariò Minister consecratus requirebatur. Quinimò verosimilius est, ut rectè aduertit Valq. tom. 3. in 3. disp. 236. c. 1. n. 2. illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Christum Dominum, & Apostolis præcepisse suum Corpus, & Sanguinem consecrare; & simul in Sacerdotes illos constituisse.

P R O C T U M II.

Quotuplex sit Ordo, & quæ eius officia.

1. Referuntur varia sententia.
2. Septem Ordines sunt in Ecclesia.
3. Quare sacerdotium, diaconatus, & subdiaconatus stat. & dicuntur Ordines maiores, & sacri.
4. Præter supradictos nullus est alius Ordo perfectus.
5. Proponuntur rationes contrarium probantes, illiusque sit salu.
6. Episcopatus non constituit distinctum Ordinem.

1. Ordinationes, seu Ordines, nouem esse, affirmant Canonistæ, ut videre est apud Felin. cap. Sicut. el. 3. de Symonia, n. 2. Couart. in cap. Nos. de testamentis n. 4. Gregor. Lopez in proemio, tit. 6. part. 1. Zenedo ad decret. collect. 105. n. 2. nempe, primam tonsuram, quatuor maiores Ordines, & tres maiores, & episcopatum. Alij, ut Titelman. lib. de Sacram. 3. addunt prædictis Ordinem palmistarum, siue cantorum, quibus fauet Concilium Carthaginense IV. c. 10. enumerans cantores ecclesiasticos Ordines, idèque decem Ordines constituant. Alij verò excludentes cantoriam, & primam tonsuram ab Ordine, constituent octo. Sic Caietan. tom. 1. Opus sc. tract. 11. Nauart. cap. 11. n. 18. Michæel Medina lib. 1. de celebratis, cap. 16. Petrus de Soto lect. 1. & 4. de Sacram. Ordinis Valen. disp. 9. quæst. 1. punct. 2. in fine. Alij tandem excludentes cantoriam, & primam tonsuram ab Ordine, & episcopatum sub presbyterio annumerantes, septem tantum Ordines affirmant esse. Quæ sunt opinio D. Thom. in presenti quæst. 37. art. 2. Albert. Magni. in 4. disp. 24. art. 5. Bonauent. eadem disp. art. 2. quæst. 2. Richard. art. 3. q. 3. & aliorum.

2. Dicendum igitur est, septem Ordines in Ecclesia esse, scilicet, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, Orationum, sicuti definitum Trident. sess. 23. cap. 2. & canon. 2. Per sex vltimos, ut inquit Concilium,